

Q. D. B. V.

20

SPECIMEN INAUGURALE

D E

FISTULA ANI

QUOD

EX INDULTU

GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI

D. XII. MARTII A. MDCCCLXXI.

SOLENNITER DEFENDET


JOHANNES MEYER

LINDAVIENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, Ex Prelo JONAE LORENZII.

6 D 8 N
SEICHEMEN INAGURALE
TITULUS ALEXANDRI
P A T R I
OPTIMO.
JOHANNES MEYER
MILE
DRESDENENSIS, EX PETRO JONAE LORNIUS
SOTERIUS DEFENSUS



§. I.

QUI pulchram partium corporis humani structuram, naturam, compositionem atque collocationem inter se attentamente contemplatur, non potest fane non mirari summi creatoris artificium, quo factum est, ut non solum universae conspirent inter se, unoque quasi animentur spiritu, sed ad suas quaque functiones, & sua virtute et adjacentium partium ministerio idonea sit, ita ut totum corpus catenam dices mirandis articulis junctam. Ita vero quoque non solum tota corporis compages patitur angiteturque, ubi universales ingruunt morbi, sed easdem

A

ob

ob causas quaelibet praecipue suis patet affectibus, alibi non facile surrecturis, sive faltem aliam prae alia facilius corripienitibus, celeriusque depascentibus. Ex eo genere vero *ani fistulam* esse et omnes Chirurgi norunt, & loci, quo oriri solet, natura abunde declarat; & quamvis de eo morbo in plurimis autorum libris egregia consignata sint praeepta, vi sum tamen est, cum de conscribendo specimine ex Academiae legibus cogitarem, operae pretium esse, ut in unum fasciculum colligerem ea, quae ad naturam curationemque istius morbi facere possunt, quam operam pro viribus implere suscepi, eamque, ut benevolenter suscipias B. L. est, quod decentibus expeto formulis. In duas autem ipsa affectus denominatio meum dispescit sermonem, ubi de morbi nostri natura sermo erit, ut ita non incongrue de fistula primo, deinde de ejus in ano origine dictum iri videatur.

§. II.

Continui solutiones in C. H. solidis partibus sive recentes sunt, atque vulnera appellari consueverunt, quamdiu allati humores eam indolem habent, quae ad glutinationem facere potest; sive aliquam vetustatem contraxerunt, iisque ulcerum imponitur nomen, ubi alluentium succorum indoles ea est, ut consolidatio praepediatur potius, quam promoveatur; eaque mucosa atque viscosa sive acris ac rodens est *ichoris*.

ichoris nomine designata. Parum ab his differunt, quin potius ab iis oriuntur sinus, sive sinuosa ulcera; cum enim ichori peculiare sit, rodere cellulose, quae nullas non C. H. partes inter se necit, telam, atque ita subter communia integumenta, musculos, nervos, ossa, viscera, sese diffundere, serpit ita longius longiusque malum, cuniculos agit, hinc inde absconditos, atque vix expiscandos aegerrime que curandos. Dum autem haec fiunt sensim sensimque & margines atque parietes indurantur stagnantibus succis, cartilagineam induunt naturam, ab organica structura degenerant callumque constituant, quo tandem in statu fistula, graecis σύρηξ (a) cognominaretur affectus. Ad fistulae igitur veram ideam & ulceris, & sinus (b) & callus pertinent eamque prae omnibus egregie expressit CELSUS (c) qui concinno suo atque eleganti dicendi genere "fistula, inquit, est ulcer altum, angustum, callosum" eandemque sententiam in scriptis suis profitentur HIPPOCRATES (d), GALENUS (e), AETIUS (f), PAUL.

A 2

AEGI-

(a) Vid. HIPPOCRATES in Lib. de *Fistulis* Opp. Ohm. Tom. II. Edit. VAN DER LINDEN ubi ita : συρηξις γνωται μεν οντα φλεβοπαθων φυσικων.

(b) Qui fistulam dicit, tubum dicit, inquit PALUCCI in tractat. de *Fistulis lacrym.* Cap. ubi de fistula lacrymali in specie agit.

(c) de *Medicina* Lib. V. c. 28. n. 12.

(d) Lib. mox citato, qui licet de *fistulis* inscribatur de nostra tamen fistula in specie est intelligendus.

(e) in *Comm. II.* in HIPP. περι ἴντρεσις Tent. 27. T. XII. Edit. CHART. p. 64.

(f) de *re medica* L. XIV. Cap. LVI.

AEGINETA (*g*), GUIDO CAULIACENSIS (*h*), PRAEUS (*i*), THEVENIN (*k*), VERDUC (*l*), atque tandem masculine propugnavit PLATNERUS (*m*), ut omnino minus accurate videantur versari, qui omne sinuosum ulcus fistulae denominatione insignire solent. Cum tamen ea & genere & curationis ratione cum fistula satis convenient, non potest non, quin de his verba simul cum fistulae tractatione fiant (*n*).

§. III.

Intestinum rectum, cuius structuram, ex anatomis, quantum hic facere potest repetendam esse duco, ubi ex colo originem sumit, satisque recta via deorsum tendit, clauditur ano, id est, orificio satis contracto, quam operam Sphincteres praestant, internus scilicet extra animae imperium situs, atque externus voluntati obnoxius; eos nitide descripferunt

WINSLO-

(g) in *Oper. Lib.* VI, Cap. LXXVII. Edit. GUINT. ANDERN. p. 307.

(h) In *Chirurgia magna*, quae praxeos Chirurgiae ex XII. seculo summam continet. Tract. IIII. Doctr. I. Capitul. V. p. 197.

(i) L. XII. Cap. XXI. UFFENBACHII *Thesauro Chirurg.* p. 292.

(k) *Oeuvres de THEVENIN* p. 82. & p. 495.

(1) Pathologie de Chirurgie T. I. Chap. I. Art. III. p. 20. & Chap. XVII. p. 237.

(m) Vir in doctrina chirurgica consummatissimus in dissertat. de *Fistula lacrym.* §. III. IV. & V. extat, in opuscul. T. I. n. 1.

(n) Sic sentit HEISTERUS licet harum denominationum differentiam optime noverit vid. EIUS *Instit. Chirurg.* P. II. Sect. V. Cap. 16.

S. I. vid. & POTT in Remarks on the fistula in ano Sectio IV. p. 29.

5

WINSLOWIUS (*o*) atque ALBINUS (*p*) quorum verba
repetere inutile duco, aliquid iis addendo impar sum.
Ipsum intestinum pinguedinis copia circumdatur, ita
ut ex sua natura atque ob adipis mollitiem facile in
saccum distendi possit; lacunae insuper inibi adsunt
mucosae plures (*q*). Vasa ex hypogastricis mesera-
cisque inferioribus sunt, interque ea venae suum san-
guinem vel cavae vel portarum systemati tradunt;
ita ad usus suos mire fabrefacta pars variis affectibus
patet & calidis & frigidis, stagnationibus humorum,
ob difficilem sanguinis alias jam per Venam Porta-
rum redditum quem hic adauget intestini expansio,
atque adipis mollities (*r*); inflammationibus, absces-
ibus, qui cito ac late lateque serpunt; praeterea
vero sanguis acrimonia quacunque laborans venas
quandoque erodit, adipem, intestinum, nec non
communia integumenta exest, ad ossa usque urina-
riam cystidem, uterumque tendit in ichorem conver-
fa, cui mutationi favent faecum in intestino haeren-
tium putredo atque duries, ita, ut ulcerum fistula-
rumque pessima genera hic oriri soleant, idque jam
a Divo HIPPOCRATE (*s*) adnotatum fuisse reperio.

A 3

§. IV.

(*o*) *Exposit. anat.* T. IV. P. I. §. 179. 180. 185 - 188.

(*p*) In immortalis opere, quod *Historiam muscularorum* inscripsit. L.
III. C. 91, & 97. diversa tamen est utriusque celeberrimi viri de-
scriptio.

(*q*) Eas nitide ut solet descripsit MORGAGNI in *adversar. anatom.*
II. anim. VI. p. 10.

(*r*) Vid. HALLERI *prim. lin. Physiol.* §. DCCL.

(*s*) loc. cit. p. 680.

§. IV.

Optime igitur a congestoriis & inflammatoriis circa haec loca sanguinis commotionibus fistulas proxime deducit JUNCKERUS (*t*). Nascituro vero morbo ansam praebet potentiarum nocentium insignis catarva, quas in externas internaque distribuunt autores, abscessus a quacunque causa orti, purulenta materies diuturnius morata, s. acris rodensque facta haemorrhoides suppressae, vulnera male curata (*u*), sanguis forte venerea (*x*) scorbutica aliave caco-chymica labe infectus, gonorrhaea maligna, drastricae purgationes, vehementiores sub partu nixus, peregrina corpora, per cellulosam itinere facto, huc delata (*y*) dysenteria incongrue suppressa, equitatio crebra (*z*), novi musti ingurgitatio, quies corporis nimia cum sedentario vitae genere conjuncta, potus parcior, contusio, lapsus, ictus, sexcentaque alia, quae

(*t*) In *Conspicuum Chirurg.* Tab. XLVI. n. III. l. *x*.

(*u*) Vid. GUID. CAULIAC. lib. cit. Tr. IV. Doctr. II. Capitul. VII. p. 220.

(*x*) Hanc fistulae ani caufam notarunt SCULPTETUS *Armam Chirurg.* Part. I. T. XLV. & PETRUS DE MARCHETTIS in libello de *Fistulis ani* Ejus *Observat. Med. Chir.* annex. Cap. II. p. 128.

(*y*) Officulum deglutitum & ad intestinum rectum depulsum fistulæ caufam habet LE DRAN *Observ. de Chirurg.* T. II. Obs. 86. calculus valde durus a PLATNERO in fistula ani inventus est, vid. ejus *Institut. Chirurg.* §. 991. in nota. Abscessuum ex eadem causa in anno natorum exempla habent *Memoires de l'Academie de Chirurgie* Tom. I. p. 540. & 544.

(*z*) Vid. HIPP. I. c. & PETR. DE MARCH. I. c.

quae ex propositis facile possunt dijudicari, vix enumeranda.

§. V.

Quomodo porro a vulnere, ab ulcere simplici atque calloso, a sinuoso differat fistula ex eis, quae §. II. disputavimus perspicere est, quae si ad ani fistulam transferre velis sane nostri morbi ab aliis, qui eandem occupant partem discrepantia. Sed & a se ipso mire differt, ut fere dicas nullum esse, qui tam varias exhibeat species, cum vix fistula fistulae similis deprehendatur. Dabimus tamen operam, ut secundum ea, quae autores docuerunt, morbi nostri divisiones statuamus. Differunt autem ani fistulae a sede primo: quamvis enim ad annum locatae omnes, sic denominari soleant, altius tamen penetrant aliae in intestinum, quam quae digito possunt exquiri, nonnunquam & in circumiacentes penetrant partes, quas insidiose infestant; aliae imum modo annum perforant, sive intacto eo musculos glutaeos pervadunt, has *externas*, *internas* istas vocavit JUNCKERUS (*a*). Discrepant & ab *apertura*, quas divisiones & antiquissimi proposuere autores (*b*); modo enim extus per communia integumenta patet fistulae

(*a*) Lib. & Tab. cit. n. I. 1)

(*b*) Vid. PAUL. AEGINETA Lib. cit. Cap. LXXVIII. p. 309. FABRIC. AB AQUAPENDENTE *Chirurg. Univers.* L. III. Cap. XII. p. 313. Edit. Batav. & PETRUS DE MARCHETTIS Lib. cit. Cap. I. & SCULTET. l. c.

fistulae orificium, integro intestino, quae species Gallis
fistule borgne interne, coeca interna audit; modo in
 solo intestino patet fistula extus non conspicua, coe-
 ca externa, *borgne externe* vocata, haecque iterum
 s. a superioribus deorsum s. ab inferiori parte sur-
 sum migrat; modo ab utraque parte patet fistulae
 orificium *completae* nomine ornatae, cum de reliquo
 coecae *incompletarum* nomine venire soleant. A *dura-*
tionis tempore porro aliae oriuntur divisiones, ita
 ut five recens fistula sit, quae species & simplices
 sinus comprehendit, five inveterata, quam durior
 callus ab ista distinguit. Tandem & a *sinuum*,
 quos fistula egit, *numero*, aliqua inter fistulas, ori-
 tur differentia; nunc enim *simplex* deprehenditur
 nunc iterum duplex, triplex, multiplex, prout ema-
 nans Ichor hic illuc se vertens, varios struit mae-
 dros in tanta adipis copia facile repentes.

§. VI.

Quamvis autem morbi, qui externas C. partes
 occupant, oculis patere soleant, eaque evidentia
 Chirurgia reliquis Medicinae partibus praestet; adeo-
 que non raro fistula ani oculis pateat, est tamen ubi
 absconditam adsestant sedem, nec unquam earum
 decursus, variii tractus, interna orifica sensibus usur-
 pari possunt, ut omnino necesse sit, haec omnia ex-
 plorationis ope expiscari, ut eo perfectius curationis
 opus procedat, Medicus enim si sufficerit ad cognoscendum

scendum sufficiet quoque ad sanandum morbum; modo sanabilis sit. Ita primus jam medicinae Parens (c)
 " Si aegrotantem, inquit, ex fistula assūmseris allii
 " caulem repente accipe, & homine supino re-
 " clinato, diductis cruribus, altero huc, altero illuc
 " caulem immitte, donec offendas ac impingas; &
 " fistulae profunditatem per caulem metire." Sic
 & post HIPPOCRATEM CELSUS (d) primus, qui Chir-
 urgicam doctrinam in ordinem redegerit " ante
 " omnia autem, ita loquitur, demitti specillum
 " convenit, ut quo tendat, quamque alte perve-
 " niat, scire possumus." Specilli quoque usum, ut
 profunditas exploretur, atque ubi cariem in osse su-
 spicamus, commendat GUIDO CAULIACENSIS (e)
 " manifeste cultro excisorio aut seta porcina de-
 " missa noscuntur" secundum PAULUM AEGINE-
 TAM (f). Et recentiores demum autores, in ea en-
 cheiresi omnem quoque fiduciam ponunt, JUNCKE-
 RUS (g) scilicet HEISTERUS (h), PLATNERUS (i),
 quo elegantius nemo eum explorandi modum descri-
 psit, aliisque. Oportet autem aegrum ita collocari,
 ut morbi sedes in conspectu sit simulque omnes qui
 escant

B

(c) Lib. & loc. cit.

(d) Lib. & loc. cit. & L. VII. Cap. IV, n. 4.

(e) Lib. & loc. cit.

(f) Lib. & loc. cit.

(g) I. c. n. II.

(h) I. c. Cap. XIV. n. III.

(i) Institut. Chirurg. §. 994.

escant musculi, atque licet varius sit situs, quo Chirurgi hic uti solent, ille tamen, qui ad accipiens dum clysterem usurpari solet, reliquis praferendus esse videtur, ut scilicet in latus decumbat cliens, femoraque adducat, dum interim nates manibus ducit minister; nec illum decubitus, quo ad eximendum calculum utuntur Chirurgi, spernendum hic esse duco (k). Digitum autem alterius manus, cuius unguis rite circumcisus sunt in anum, atque specillum in fistulam demitti oportet, hucque & illuc converti; conductus vero nates aliquando laxari & iterum diduci, aegrum in hanc vel illam partem verti, ut quo possis, maxime omnes fistulae conditio-nes explorare queas; interdum & sinus caesim ampliandus est, idque PAULUS AEGINETA (l) adnotasse videtur. An speculum ani in explorandis fistulis nostris praecipue latentibus aliquem usum praestare possit? dubito, cum comprimatur ita ejus tubus, quod IDEM (m) hic autor expertus est.

§. VII.

Sed haec generaliora sunt, & aliquando quidem ad explorandam fistulam sufficiunt, saepius autem & hic deficit ars & Chirurgum incertum relinquit.

Opertet

(k) Hunc situm in fistulae ani exploratione amabant veteres. vid. AEGINETA l. c. eumque aliquando necessarium esse ut haec diagnos-
tice fiat HEISTERUS docet Lib. & loc. cit. §. VI.

(l) Dum cultro excisorio explorare jubet loco citato.

(m) loc. cit.

Oportet igitur per singulas ire fistularum nostrarum species, atque qua ratione Chirurgus de iis certior fieri queat, dispicere. Externas ani fistulas (§. V.) satis facile esse detegendas, ea quae mox indicavimus clare indicant: ex internis vero, quae ad vesicam urinariam tendunt, exitu quandoque urinae, si extus perforatae sunt, suam declarant existentiam (*n*), nec repugnat quid, quin & vicissim faeces ad urinae cystidem pervenire atque ex urethra effluere possint, licet de hoc signo vix ullibi praeceptum esse inveniam (*o*); ubi vaginam perforare, foedo scybalorum sive faltem tetri odoris exitu eam calamitatem dignoscimus; an ad intestinum altius penetrent ibive illud perforent? sive specillo profunde immisso, sive digito perscrutari dabitur, ubi ille stili ultimum haud persentiscit; ita porro alte in musculos abeunt quandoque, “quod per privationem operationis ipsorum cognoscendum esse,” docet GUIDO CAULIACENSIS (*p*). Ad ossa vero usque an pertingant fistulae nostrae inquirere docet CELSUS (*q*) ubi dicit: “Id quoque disci potest, in osse vitium sit nec ne: & si jam eo fistula penetravit, quatenus nocuerit. Nam si molle est, quod ultimo specillo contingitur, intra carnem adhuc vitium est:

B 2

“ si

(*n*) Sic PETRUS DE MARCHETTIS docet Lib. cit. Cap. III. p. 131.

(*o*) Materiem ichoroſo ſanioſam fibinde per vesicam effluere habet JUNCKERUS L. & Tab. cit. n. II. 4.

(*p*) Lib. cit. Cap. VII. p. 220.

(*q*) L. V. C. 28. n. 12.

“ si magis id renititur , ad os ventum est . Ibi de-
 “ inde si delabitur specillum nondum caries est : si
 “ non dilabitur fede , qua innititur , caries quidem
 “ verum adhuc levus est : si inaequale quoque , &
 “ asperum subest , vehementius os exesum est . ” Ad
 nervum pervenisse malum dolor docebit (r) . Arte-
 riā subesse & anatome indicabit & pulsatio prodet .

S. VIII.

De exploratione vero fistulae perfectae sive im-
 perfectae sic praecipiunt autores . Perfectam ani fistulam
 indicant lumbriū saepe atque scybala per ex-
 ternam aperturam exeuntia (s) ; indicat stylus cuius
 extreūm nudo occurrit in anum intruso dīgito ; in-
 dicat clyster in rectum missus , cuius materia ex parte
 per externum exit orificium (t) . Ubi autem ext-
 tus aperta est modo fistula intacto intestino , perfen-
 tiscit quidem digitus stylum , ast , bene monente
 PAULO AEGINETA (u) : “ obstat in medio corpus non
 “ perforatum . ” Haec quidem fatis expedite perfici
 possunt , atque his in casibus optime Chirurgo in-
 servit

(r) Ex puris genere id cognosci posse monet CELSUS ibid . ubi “ ex
 “ carne pus laeve album copioius fertur ; at ex nervoso loco co-
 “ loris quidem ejusdem , sed tenuius & minus , ex nervo pingue &
 “ oleo non dissimile . ” Haec tamen subtilius , quam verius dicta
 esse existimo .

(s) Vid . PAUL . AEGINETA Lib . & loc . cit . atque FABRIC . AB
 AQUAPEND . Lib . & loc . cit .

(t) Vid . HEISTER . Lib . cit . Cap . XVI . § . I .

(u) Vid . loc . cit .

servit styli exploratio , quae tantae alias jam in arte utilitatis est. Specillum vero vix sive nequaquam admittit coeca externa , cuius duplarem esse speciem supra monitum est. Sive enim deorsum haeret fistulae fundum, sive sursum tendit; in utroque casu cauae praegressae, quibus fistula originem debet, insolitus sive dolor sive pruritus , materiae saniosae cum faecibus exitus mali testimonia esse solent. Sed in hoc ultimo signo aliquam diversitatem esse docet JUNCKERUS (x), fistula enim deorsum ad intestinum tendens, cum scybalis prematur exituris , materiam iis praemittit; cuius autem fundum ad cutem tendit, illa exeuntibus demum faecibus comprimitur, ideoque eas materies tandem sequitur. Tuberculum infoliti coloris extus prominens hanc ultimam aliquando speciem indicare solet: “ Oportet etiam, inquit PLATNERUS (y) “ demisso in alvum , & digito & speculo violatum intestinum explorari ” qua quoque sententia JUNCKERUS (z) est, vultque filum ferreum incurvatum & nodulo praeditum alvo immitti, ut exploretur fistulae conditio , cui tamen encheiresi vix aliquam fidem esse existimo , cum facile in lacunas naturales incidere possit stilus. Nec omittere tandem decet quae circa faciendam hanc diagnosin doceat

B 3

LA

(x) Lib. & Tab. cit. n. II, 3. 2) 3)

(y) Instit. Chirurg. §. 999.

(z) Lib. & Tab. cit. n. II, 3, 4)

LA FAYE (a). Varios vero maeandros adeffe, & quorsum tendant difficilis exploratu res esse solet, "Cognosci id potest, inquit CELSUS (b), ex modo "puris, cuius si plus fertur, quam quod simplici "spatio convenit, plures esse sinus manifestum est." Iniectiones ex lacte tepido parat HEISTERUS (c), quibus externo orificio immisso ex copia intrantis liquidi ad sinuum multiplicitatem concludere fas est. At licet plures esse sinus noveris, quî cognosces, quo tendant? hic scilicet haeret aqua nec unquam hanc diagnosis facere licebit, nisi facta operatione ac durante curatiois opere, quotidie inspiciente Chirurgo, idque multiplici sibi experientia compertum esse testatus est Expert. BUSCHIUS, hujus civitatis Chirurgus dexterimus. Vetusstatem tandem fistulae ex inquisitione eorum, quae praegressa sunt, atque calli duritie (d) cognoscere licet.

§. IX.

(a) Binas ille encheires recenset, unam THIBAULTII, qui digitum ano intrusum incurvabat, alterius manus deinde digito integumenta premebat, atque ubi dolorem sentiebat aeger ibi secabat; altera PETITI est "hic turundam per diem noctemque, in ano relinquebat, ut puri praecluso exitu coagminaretur ac tumorem elevaret extus vid. *Commentar.* in DIONYS. p. 416. not. a. Priorem doloris plenam esse utramque ad eos modo casus pertinere, ubi ad integumenta fistulae fundum spectat, neutram vero certam esse, quis non videt?

(b) L. V. Cap. 28. n. 12.

(c) Lib. & loc. cit. §. I.

(d) JUNCKER, Lib. & Tab. cit. n. I. 3.

15

§. IX.

In omni vero morbo expedita alias curatio est, alias vero difficilior, danturque signa ex quibus potiorem minorem sanationis spem concipere ac prædicere potest Medicus. Ante omnia autem monuisse convenit, quod omnibus ani fistulae affectis nisi carentur, mortem minatus sit HIPPOCRATES (*e*) ; inque eandem sententiam abit PETRUS DE MARCHETTIS (*f*), quam quoque exemplis confirmat. Qui enim sectionem reformidant, eos ipsa quidem fistula non occidit, sed sanguinem inficit sua sanie inque caco-chymiam præcipitat aegrotum (*g*), sive serpento latius latiusque suo ichore partes atque tandem gan-graena afficit; exinde mors. Ubi vero per singulas ire species lubet, facilior curatio earum est, quae ab externis caufis in corpore sano ortae sunt, quam quae internis originem debent, nunquam curandae nisi prius sanguinis vitium venereum, scorbuticum aliudve sublatum sit; quin aliquando in impuro sive senili corpore ani fistula emunctori vi-ces agit (*h*); eaeque sunt, quas relinquendas potius, quam curandas docet GUIDO CAULIACENSIS (*i*);

in

(*e*) de Fistulis, pag. 681. Edit. cit. T. II. ὅκοις δὲ καταλειφθωσιν
ἀθεραγίῳ, θυμός.

(*f*) Libello cit. Cap. IV. p. 132.—135.

(*g*) Vid. PETR. DE MARCHETTIS ibid.

(*h*) Vid. HEISTER. Lib. & loc. cit. §. V.

(*i*) Lib. & loc. cit. Cap. VII. p. 220.

in quo casu tamen fonticulum cruri inustum atque deinceps suscepta curatio p[re]ferenda esse videtur (k). Quae porro ad internas partes penetrant fistulae, atque vesicam s. vaginam perforavere eas infanabiles judicat PAULUS AEGINETA (l), atque omnino consentire videntur HEISTERUS (m) atque PLATNERUS (n) Idem quoque sentiendum, ubi ita alte intestinum perrupit fistula, ut eo digitus porrigi nequeat; tunc enim operatione abstinere secundum GAREN-GEOT (o) atque HEISTERUM (p) satius est, quam vulnus infligere ex quo prorumpens sanguis aliave symptomata aegrum protinus e medio tollunt, qualia exempla habent FABRICIUS AB AQUAPENDENTE (q) atque PALFYNUS (r). De perfectis autem porro itidemque imperfectis ani fistulis id tenendum, quod facilem

(k) Sic FABRIC. AB AQUAPEND. Lib. & loc. cit. p. 313,

(l) Lib. & loc. citat. p. 309.

(m) loc. cit.

(n) *Instit. Chirurg.* §. 1002.

(o) *Operations de Chir.* Cap. de Fist. ani.

(p) I. c. contradicere quidem videntur LE DRAN *Oper. de Chir.* ad h. I. atque POTTIUS *Remarks on the fistula in ano.* Sect. V. p. 79. sq. ubi tales fistulas carne impletas vidisse se testantur; ast haec nec de veris fistulis nec de fectione earum intelligenda sunt.

(q) " Sacerdos, probus & literatus vir, inquit, cum alvum natura-
" liter haberent exsiccatam, & faeces obdurate, aliquando immixto
" intus baculo acuto ut faeces - - - eliceret, rectum intestinum su-
" perius perforavit, & spatio septem circiter horarum, ex vehe-
" mentissimis doloribus obiit." Historiam hanc, ni fallor, egregie
huc facientem narrat in *Operat. Chirurg.* Cap. XCIII. p. 592.

(r) *Operat. Chirurg.* Cap. XX.

facilem a ferro curationem accipient, nisi aliqua ex iis
ad sit conditionibus; quas paulo ante commemoravi:
eam tamen hic exceperis, cuius extreum ad superio-
ra tendit, aegre ut diximus, cognoscendam, aegri-
us curandam: haud ita expeditam porro possibilem
tamen curam admittunt, ubi plures maeandri ani
vicinias vexant, quam simplices recentes, quaeque
brevi decursu finiuntur. In gravidis tandem fistulae
operationem suscipere vetat MAURICEAU (*f*) cum &
abortus & mors inde soleat consequi.

§. X.

Hactenus nulli fere dissensus sunt inter autores,
ab HIPPOCRATE, cui affectus noster materiem quo-
que scribendi praebuit, ad nostra usque tempora.
Nunc vero, ubi ad curationem accedimus, varias
diversissimasque vias elegisse sibi chirurgos offendim-
us, ut ita intricata satis tela mihi explicanda sit.
Illum quidem omnes unumque praefixum scopum ha-
bent, ut fistulae sive sinuoso ulceri vulneris concilientur
conditions (*t*), itaque purgetur necesse est,
atque callus removeatur, idque omni data opera ef-
ficere studuerunt, ita ut vix capiam, quid sibi volue-
rit GUIDO CAULIACENSIS (*u*), qui augendum potius
vult callum, quam removendum, quasi cicatricis lo-

C

co

(*f*) *Observations sur les maladies des femmes grosses*, Observ. 618.

(*t*) Vid. PLATN. Lib. cit. §. 900.

(*u*) Lib. & loc. cit. p. 222.

co esse posset. Hanc igitur, tam necessariam fistulae in vulnus mutationem, alii medicamentis, ligatura alii, cauterio nonnulli, cultro scindente vero plurimi inducendam esse voluere. Medicamenta vero proposuere haud spernendi ordinis autores, duce HIPPOCRATE (*x*), qui »linteum byssinum, inquit, tithymali magni succo imbutum, flore aeris tosto trito insperatum, in penicilli figuram interque longitudine fistulae aequalem. » Hunc penicillum caulis ope prius in fistulam missi, huic deinde introducere jubet, sicque sex dierum intervallo curam esse perfectam promittit. Sic & medicamenta fistulis adaptata habet CELSUS (*y*), quae tamen ani fistulis non ita impense commendat. Nec magis in iis fiduciam ponit FABRICIUS AB AQUAPENDENTE (*z*) licet & ipse quaedam huc utilia adferat. Utinam vero, qui hos viros sequuntur sunt, haud magis deflexissent ab eorum placitis, nec ut labente Anatomes studio factum est, cultros abhorrentes solis emplastris suam largiti fuisserent fidem. Factum est inde, ut de hoc artis defectu querelas agerent viri cordati (*a*) pristinamque effaciorem Chirurgiam revocandam sibi sumferint. Et quid

(*x*) loc. cit.

(*y*) Ea proposita habet L. V. C. 28. n. 12. ubi vero de fistulis ani in specie dicit. L. VII. C. IV. n. 4. nihil de eis reperio.

(*z*) Operat. Chirurg. C. XCIII. p. 590.

(*a*) Inter quos PETR. DE MARCHETTIS libello citato Cap. VII. p. 151.
 » Perperam, inquit, existimant multi Pseudomedici, se sanare posse
 fistulas ani & intestini recti balsamis, unguentis, injectionibus,
 aliisque hujusmodi - - - nonnisi sectione sanabiles sunt.

quid demum ? nonne patrum nostrorum memoria
frustra de medicamine quae situm est , quod ani fistu-
las tolleret , cum potentissimus Galliarum Rex Ludo-
vicus XIV , eo morbo laboraret (b) claro caducae
tunc artis atque medicamentorum hic impotentiae
testimonio ? optime itaque sic PLATNERUS (c) » ad-
» versus omnes ani fistulas majus certiusque , in manu ,
quam in medicamentis praesidium est , atque pla-
cent verba FABRICII AB AQUAPENDENTE (d) , qui
» medicamentis raro sanitatem suscipere fistulam ani ,
» contendit , etiamsi callum adhuc non contraxerit , quia
» hae partes perpetuae fluxioni obnoxiae sunt , &
» quasi excrementorum cloacae . » Lubenter igitur eas ,
quas medicamentis curatas legimus fistulas (e) ad ul-
cera potius referrem simplicia .

§. XI.

Sed & ligatura inventorem habet optimum artis
Conditorem HIPPOCRATEM . Etenim , postquam illa ,
quae mox recensuimus , proposuerat , ita pergit (f)
» Crudum linum tenuissimum accipito & ad palmi
» longitudinem quintuplicato , & pilum equinum cir-
» cumdato : deinde facto specillo starineo in summa
» parte perforato , & initio lini complicati in specil-

C 2

„ lum

(b) Eam totam historiam narrat DIONIS Operat . de Chir . p . 419 . sqq .

(c) Lib . cit . § . 1002 .

(d) loco mox citato .

(e) Venerea potissimum sic sanari posse existimat HEISTERUS . I . c .
§ . XVIII .

(f) loc . cit .

» lum immisso , specillum in fistulam demittito & si-
 » mul sinistrale manus digitum indicem in sedem in-
 » dito ; ubi vero specillum contigerit digitum , infle-
 » xa summa specilli parte , initium lini , quod est in
 » specillo per digitum , & specillum quidem rursus
 » extrahito , lini vero initia bis vel ter connectito , &
 » reliquam lini partem intortam ad nexum deligato .
 » Ceterum , quantum putrescente (g) fistula de lino
 » laxatur , tantum intendere oportet ac intorquere
 » semper singulis diebus . » Eandem curationis viam ,
 mutata tantum leuiter encheiresi proposuit CELSUS (h) ,
 eamque duplificem fecit , ita ut sine dolore sit prior ,
 quae ita perficitur . » Linum crudum immissum fistu-
 » lae bis in die ducendum est sic , ut subeat fistulam
 » pars , quae superior fuit - - - tertio quoque die
 » nodus resolvendus est , & ad caput alterum recens
 » linum adligandum , eductoque vetere , id in fistula
 » cum simili nodo relinquendum . Sic enim id paula-
 » tim cutem , quae supra fistulam est , incidit . Simul-
 » que & id fanefecit , quod a lino relictum est , &
 » id quod ab eo mordetur , inciditur . Haec ratio cu-
 rationis longa . - - &c . Alteram dolor committatur
 vehemens , a priori vero fortiori constrictione tan-
 tum diversam , de cetero expeditiorem . Quamvis
 autem adlata loca aliqua obscuritate laborent (i) , id
 faltem

(g) Το στενόν non solum putrefactionem sed quamcunque destructionem significare HIPPOCRATI autor est FOESIUS Oeconom. Hippocr. p. 562.

(h) L. VII c. I. n. 4.

(i) Eam dilucidare allaboravit FABRICIUS AB AQUAP. Operat. Chir. I.e.

faltem ex iis cognoscere datur , partis fistulose mortificationem hac ratione promoveri quidem , ast lente , ac , quicquid CELSO placeat , summe dolorifice , omniaque huc cieri symptomata , quae irritatio pendissequa habet , & licet hodieque nonnulli sint , qui id genus curationis amant , postponendum tamen longe esse scalpellī operae , veri quicunque Chirurgi profitebuntur .

§. XII.

Ferro candente partes exurere , quae adfectibus praecipue chronicis laborant , veteribus frequenter in usu erat , eaque curatio non quidem a Graecis , sed ab Arabibus demum ani fistulae adhibita est ; auctorem itaque ALBUCASIN (*k*) habet , ejusque vestigia apud GUIDONEM CAULIACENSEM (*l*) , primarium fere inter Latino barbaros Chirurgiae scriptorem repertus . „ Fistula non penetrans , inquit ille , curatur dilatato foramine turunda e gentiana , per incisionem cavernae , & unctionem factam cauterio actuali vel potentiali , ut dictum est de aliis : nisi , quod iste locus , propter sui naturam , indigeret magiori refrigeratione & prohibitione quam aliis . Brunnus autem & Theod . magis commendant in ista fistula cauterium actualē quam potentiale , est enim extreme utile & non adducit materiem in locum . „

C 3

Ac

(*k*) Part. II. C. 80. citante HEISTERO loc. cit. §. XVII. not. d.

(*l*) loc. cit. p. 221.

Ac paulo post de fistulis sic praecipit „ secundum ma-
 „ gistrum meum intromittatur - - - instrumentum
 „ curvum & cavum ab una parte & de super - -
 „ cultellari ignito incidatur &c. „ Ab eo tamen tem-
 pore vix ullus autorum crudeliorem hanc methodum,
 quantum ego scio commendavit, excepto SEVERINO
 (*m*); nec hodierna luce, cum perfectior Chirurgia
 mitiora remedia novit, unquam in usum cedere so-
 let. Taceo igitur saeva symptomata (*n*) quae meth-
 odum istam necessaria lege consequuntur illamque
 omnino ex arte exulare jubent.

§. XIII.

Praferenda igitur, ut ex fistula vulnus recens
 purumque fiat, summo sane jure scapelli opera, a
 CELSO, AEGINETA, FABRICIO AB AQUAPENDENTE,
 PETRO DE MARCHETTIS (*o*), omnibusque demum
 recentioribus laudata. In ea perficienda plures cla-
 rissimi Viri operam suam posuere, nec vanam, uti
 ex tot aegrorum ista methodo curatorum numero
 appetet. Priusquam vero ad haec proprius adceda-
 mus, tangenda est quaestio inter Veteres agitata, an
 tuto ani sphincter (*p*) possit discindi nulla insequen-
 te alui incontinentia? cui negando Veteres respon-
 debant.

(*m*) *Pyrotechn. Chirurg.* L. II. P. I. C. XCII. p. 286.

(*n*) Ea singulatim exposuit JUNCKERUS Lib. & Tab. cit. n. V. 1.

(*o*) Locis iam saepius citatis.

(*p*) Internum an externum voluerint nusquam reperio. Puto tamen
 de externo cogitasse, cum ille conspicuus magis sit quam internus.

debant. Etenim, ubi ad ejus sententiae originem ascendimus, ALBUCASI (*q*) reliquisque Arabum scriptoribus tribuendam istam reperio, a quibus eam mutuati sunt, quicunque eos fuere fecuti, licet & AEGINETA (*r*) jam timuisse videtur dirum illud a sphincteris laesione symptomata, HIPPOCRATIS (*s*) certe effati immemor, ubi ita, „Rectum intestinum & „secans & refecans & confuens & urens & putre- „faciens etiam si gravissima haec esse videantur, ni- „hil laeseris. „ Quae tamen sine sphincteris laesione fieri nequeunt. Et mirum sane fuisse inter recentiores quos idem agitaverit metus (*t*) postquam experientia toties ejus vanitatem demonstraverat. Optime vero nodum voluit HEISTERUS (*u*), qui a diuturna quidem sphincteris erosione alii incontinentiam oriri adfirmat, a simplici autem sectione, sine qua fistulae operatio fieri nequit, illam evenire posse negat.

§. XIV.

Quam modo laudavimus prae reliquis methodis incisio, ea diverso fere modo a quoconque autore descripta est, quos si inter se conferre atque compara-

rare

(*q*) Part. II. C. 80. cit. HEIST. I. c. §. VII. not. a.

(*r*) Lib. & loc. cit.

(*s*) in Libro de *Haemorrhoidibus* Edit. cit. T. II. p. 347. & SCUL-

TETUM hic habeo consentientem, qui dummodo Sphincteris osta-

va pars relinquatur, id sufficere ait, vid. locus mox citandus not. a,

(*t*) JUNCKER Lib. & Tab. cit. n. VI. 7.

(*u*) Loc. mox citat.

rare instituerem, altum mihi mare foret exhauiendum. Id quidem generatim ex CELSI (x), AEGINETA (y), FABRICII AB AQUAPENDENTE (z), qui CELSI obscuriorem tantum commentatus est SCULTETI (a) PETRI DE MARCHETTIS (b) aliorumque lectione colligere datur, duplex illis fistulae genus fuisse notum, prius, quod intestinum perforaret, alterum quod lateret; itaque duplex quoque incisoriae curae genus proposuere, utrumque a SCULTETO (c) verbis atque figuris expressum. Instrumenta erunt primum a GALENO deinde a FABRICIO AB AQUAPENDENTE (d) inventa atque perfecta. Recentiorum igitur operationis methodus in compendium redigenda est, ut ex hac quoque parte proposito meo satisfaciam, ducesque sequar HEISTERUM (e) atque PLATNERUM (f). Situs aegroti idem ille esse debet, quem ad explorationem preecepi: vidi & in ventrem

(x) Lib. VII. Cap. IV. n. 4

(y) Lib. VI. C. LXXVIII.

(z) *Pentateuchus Chirurg.* Lib. III. Cap. XII. & *Operat. Chirurg.* Cap. XCIII.

(a) *Armam. Chirurg.* P. I. Tab. XLV.

(b) *Libell.* cit. Cap. I.

(c) loc. cit.

(d) Antecessorum suorum ferramenta exhibet in Tab. D. ab HEISTERO quoque picta Tab. XXXV. 4. 5. 6. ea Galeno tribuit atque *falcettas* appellat *Operat. Chir.* loc. cit. fibi vero, ut ait gladiolum paravit acie donatum longa &c.; *Pentateuch. Chirurg.* l. c.

(e) Lib. & loc. cit. §. VI. & seq.

(f) Lib. cit. §. 1003. & sq.

trem decubuisse aegrotum pendentibus cruribus (g).
 Digitum itidem, qui in anum truditur atque instrumenta oleo inungi atque pilos, si opus est, abradi oportet. A fistulae igitur perfectae operatione sermonem ordiar. Immisso per anum digito specillum flexible sulcatum immittitur fistulae, quod ubi ad intestini cavum pervenerit, prehendit digitus atque foras educit, ut ex eo anfa fiat atque intermedia caro inter specilli duplicaturam haereat; quam leni manu adtrahens scalpello recto ad fistulae usque tubum incidit operator; simul vero ad id adtendi debet, ut paulo quoque supra fistulae adperturam perforetur intestinum; sunt (h), qui tenuerunt specillum, cui fulcus deest, arripiunt, atque eadem ratione intermedium istam carnem comprehendentes, totam eam, simulque callum excindunt, de cuius vero extirpatione deinceps plenius dicetur; coeca interna praecipue ubi proxime ad intestinum fertur, pertuso eo simili modo inciditur; coeca vero externa si extus tuberculum habet, incidendum illud est ut ad fistulae cavum perveniat; si minus, specillum unciforme habet HEISTERUS (i), quo immisso exter-

D

rior

(g) Eum situm in Valetudinario Parisiensi, quod *la Charité* vocant familiarem esse reperio in ABEGGII Dissert. de *Fistul. ani.*, Basilea 1722. habita §. XXII. p. 14. Confirmat LE DRAN Obf. de Chir. T. II. Obf. 82. hic enim ejus domus valetudinariae quondam Chirurgus erat primarius.

(h) Vid. LA FAYE Comm. in DIONYS. Operat. de Chir. p. 414, not. a.

(i) Lib. cit. Tab. XXXV, fig. 14.

rior cutis sublevetur, atque ibi scindatur. Hae omnes encheireses in singulis fistulis modo expeditiores, modo difficultiores sunt, idque ex dictis (§. V.) dijudicare facile dabitur. Fistularum vero tandem & diversissimi tractus, hac illucve magis vel minus alte tendentes aliaeque conditiones vix dicendae efficiunt, ut in ipsa operationis encheiresi variae sint modifications, quibus generalia Chirurgiae praecerta atque operatoris ingenium facem praeferaunt, omnino oportet.

§. XV.

Instrumentorum adparatus, quem mox indicavi simplex est satis; eum tamen perficere atque de aegris, dolorum aliqua ademta parte, mereri studuerunt Clarissimi viri. Inter haec clarum est Scalpellum, quod Gallis *Bistouri Royal* Syringotomus Regius vocatur (k) cuius extremum obtusum habet mucronem; illum immittunt fistulae, cumque sequatur illico culter, expeditior incisio est. Conveniens vero illud instrumentum est, ubi in externa potius cute finitur fistula, quam ubi alte ad rectum fertur, in quo casu syringotomus praeferendus videtur, qui Autorem LE MAIRE habet (l), celebrem olim inter Argentinenses Chirurgum, qui Scalpellum fistit curuum

(k) ab HEISTERO pictum Tab. V. fig. 3. eo enim secta est LUDOVICI M. fistulae.

(l) Illum descriptum primum BASSIUS in *Dissert. de Fist. ani &c.* Halae 1718. Imperfekte illum exhibet GARENGEOT Instr. de Chir. T. I. Chap. IX. art. V.

curuum, cuius cuspis in flexible satisque longum continuatur specillum, immissum vero hoc fistulae insequitur culter secatque intermedium istam carnem (§. XIV.). Sed & cultro illo vagina occulto (*biflouri caché*) aliquando fistulae nostrae incisae fuere, quo in casu instrumentum sulcatum (m) immittendum est ano, ne alterum recti latus laedatur. Forficis incuruae singularem speciem SHARPII (n) verba & figura exhibent, incidendis ani fistulis aptram. Scalpelum POTTIO (o) familiare est, ad regii syringotomi speciem propius adcedens, falcatum, cuius lamina vix aliquot lineas lata nodulo mediocri cuspidis loco terminatur. Nec laude sua carent RUNGII (p) atque BRAMBILLAE (q) instrumenta, quibus id efficere studuerunt clarissimi Inventores, ut intermissa specilli in fistulam introductione carnisque intermediae attractione quae lacerare istas partes non raro solet, tuto totus ille tractus incidi poscit, cultro per sulcata instrumenta, secure ducto. Inter haec tamen si judicium ferendum est, priora posterioribus praestare,

D 2

re,

(m) Vid. PLATNERUS Lib. cit. §. 1006. ferramentum ab HEIRTERO pingitur Tab. XXXV. fig. 2.

(n) *Treatise on the Operations of Surgery* T. II. p. 31. B.

(o) *Remarks on the Disease commonly called a fistula in ano* Sect. IV. p. 40.

(p) Illa picta habet HEISTERUS Tab. cit. fig. 9. - 13.

(q) Haec exhibet PLENKIUS in Libello, quod Sammlung von Beobachtungen über einige Gegenstände der Wundärzneykunst, inscribitur. P. II. n. IV. p. 77, sqq. picta sunt Tab. III.

re, simpliciorem vero adparatum binis istis antecelere censeo (r).

§. XVI.

Supereft, ut callus eximatur, quo remanente, nec in purum mutari vulnus nec glutinari potest fistula. Eam quoque Chirurgiae nostrae partem non una ratione perficere tentarunt autores, florem aeris tostum multum fistulae oportet immittere secundum HIPPOCRATEM (f), "deinde spongiam melle illi-
" nere & ultra (in fistulam) protrudere." Prius, ut callum exedat, posterius vero, ut pus moveatur. Exedentia porro ad callum commendat CELSUS (t), aeris florem duce HIPPOCRATE, FABRICIUS AB AQUA-
PENDENTE (u); viride aeris vel praecipitatum PE-
TRUS DE MARCHETTIS (x), qui aliquando solis di-
gestivis tolli eum posse existimat. Ubi vero haec mi-
nus proficiunt autor est IDEM ad ferrum candens es-
se configiendum; cuius methodi & GUIDO CAULIA-
CENSIS (y), meminit & suasor est SEVERINUS (z).
Nec

(r) Praeter simplicitatem enim, quam in iis desiderandam video, scopo suo vix respondere existimo, etenim non cogitarunt clarissimi Inventores milles modis differre fistulae decursum, paucissimasque esse, quae recta procedant, quibus tamen solis ista instrumenta idonea sunt.

(s) Lib. de *Fistulis*.

(t) L. V. C. 28.

(u) *Pentat. Chir.* loc. cit. p. 314.

(x) Libell. cit. Cap. V. p. 138.

(y) Libr. cit. Cap. VII. p. 221.

(z) Lib. & loc. cit. not. m. p.

Nec defuere inter recentiores, qui plurimum hic triseruent causticis medicamentis, quibus callum consumi oporteat, laudibusque summis inter alia condecoratum fuit unguentum apostolorum (*a*). Ast & hic omnibus curandi rationibus plurimum praestat scalpellum (*b*); atque prae reliquis forsan methodis illa optima judicanda est, qua excinditur callus prima sectione, illa enim dolorum summam minorem habet, modo tibi curae sit, ne substantiae major jactura fiat quam ferre possit sphincteris officium. Hanc vero si timeas, alia methodo incisa intermedia carne eodem scalpelio s, forfice eximatur deinde s. pluries incidatur callosa duries, quam postea optime unguentis pus valde moventibus destrues (*c*). Adurentia quippe & ignis in tanta partium sensibilitate, non possunt non diram cum omnibus suis sequelis inflammationem hoc adtrahere, ut reliqua, quae concitare valeant, symptomata taceam. Quid tandem de fistularum ani Chirurgia dicam, quae sua labe partes vicinas, vesicam, vaginam, ossa infecere? Certe ex his plures sanationem respuunt, & nonne reliquarum cu-

D 3

ratio

(*a*) Quem hic volo LEMONNIER est, qui in Lib. de *ani Fistula* conscripto pag. 131. multum rodentibus tribuit medicamentis.

(*b*) Ducem & hic PLATNERUM sequor Lib. cit. §. 1006.

(*c*) Totius partis excisionem urget LE DRAN *Operat. de Chir.* ad h. Cap. ubi ita: " Si on se contente de le fendre, les deux lambeaux flottans de la playe rendront les pansemens très difficiles & même la playe fistuleuse." Atamen, si sinuosum ulcus altius ad intestinum rectum tendens, carne impleri potest, quare non & hujus generis vulnera?

ratio ex generalioribus artis praceptis lucem suam accipiunt (d)?

§. XVII.

Cautionibns vero opus est nonnullis ; ubi fistulae ani operatio instituitur , quas haud commodiori loco exponi posse exiffimo. In usu vero primum est Chirurgis, ubi periculum in mora non est , praeparatoria cura disponere aegrum, ut operationem sustineat , & inter ea , quae hoc requiruntur venarum sectiones , purgantia, depurantia cujuscunque generis sunt, quorum omnium necessitatem sapiens chirurgus ex iis conditionibus , dijudicabit , quae aegros circumstant. Praeterea aliis & ante (e) & post operationem (f) ducenda est clysmatibus atque exoneranda vesica : fanguis , si forte immoderatus fertur, facta sectione deligandum vas praecipiunt autores (g) quod si rite fieri nequit , implendum est vulnus linteis carptis alcohole ebris , atque minister relinquendus , qui diu satis digito comprimat , ut sanguis fisti possit (h). Haemorrhoides si forte concitentur (i) refrigerantia atque revellentia omnis generis propinanda sunt eaque necessaria sunt itidem , ubi inflammatio urget. Desiderendi

(d) Haec pro aliis maxime prosequutus est, HEISTERUS Lib. & Cap. cit.

(e) Vid. PLATNER. §. 1003.

(f) Vid. JUNCK. L. & Tab. cit. n. V. B. 3. & VI. 4.

(g) Vid. HEISTER. §. XVIII. n. 5.

(h) Vid. PLATNER. §. 1004. & LE DRAN Obs. 83.

(i) Vid. PETR. DE MARCH. Lib. cit. Cap. VI. p. 150.

di vero saepe & cupiditas supervenit vana, atque uriae difficultas, quae toleranda sunt aegro, cum mox evanescant, ubi vero evacuanda scybala adfunt resolvenda deligatio est ne diutius in recto haerentia, foetore suo vulnus inficiant. Et quis tandem ~~enim~~ evopieva omnia praevide eorumque curandi rationem generalioribus praeceptis includere valet. Sagaci haec chirurgo relinquenda sunt, cui artis pracepta his in causibus optima indicant medicamina.

§. XVIII.

Vulnus ita inflictum secundum HEISTERI (*k*) atque PLATNERI (*l*) praecepta ita deligandum est; ut contigui margines rite coeant; utque ita sine confusione consolidentur. Nec certe spernendae sunt cauteiae, quas conservandae ani diametro proposuere LE DRAN (*m*) atque LA FAYE (*n*): Fascias huc idoneas HEISTERUS (*o*) pinxit, ex quibus simplicissimam eligere fas est. An vero medicamentis opus, ut vulnus impleatur atque glutinetur? Ita quidem docuere

huc

(*k*) Lib. & loc. cit. §. XVIII.

(*l*) l. c. 1009. & sq.

(*m*) Ita LE DRAN: "Cette playe demande des attentions particulières, sans lesquelles l'anus deviendroit si etroit, que les excrements n'y pourroient y passer." Primo igitur turunda alvo debet immitti eburneum poscea suppositorium quod per annum relinqui oportet. *Operat. de Chir.* ad h. l. vid. & POTTIUS l. c. p. 83.

(*n*) Hic itidem eodem scopo turundam jubet intrudi. *Comm. in Dionis.* p. 418. not. a.

(*o*) *Chirurg.* P. III. C. V. Sect. IV, n. V, VI, VII.

huc usque periti Doctores atque unguentorum essentiарum aliorumque huc conducentium magnam copiam proposuere. At qui nuperrima PIBRACI (p) contra medicamina , in vulneribus quae substantiam amisere , argumenta atque observationes rite perpendere easque ad nostram operationem , qua ejusmodi vulnus fieri nemo negabit , applicare velit , fatebitur certe , ni fallor , & hic optime ab unguentis ejusque generis aliis abstineri praesertim cum & DISDIER (q) testatus sit , ani fistulam ab ipso D. PIBRAC peracta , operatione celeriter & faustissime hac nova praxi curatam fuisse. Lubet igitur ubi dicendi finis faciens est CELSI (r) verbis fasciculo nostro colophonem imponere , ubi ita „ licet sine peregrinis & „ conquitis & compositis medicamentis vulnus „ curare. „

(p) Quae nuper in Tom. IV. *Aetorum Academ. Chirurg.* proposuit;
vid. & EYTINGII *Dissert. de Consid. vulnerum cum deperd. sub-*
stant. Arg. 1770. habita.

(q) Vid. Ejus *Theses de Vulnerum amissa substantia* Parif. in Chi-

rurg. Scholis 1768. defensā. p. 16.

(r) Lib. V. C. XXVI.



THESES

T H E S S
AD DISPUTANDUM PROPOSITAE.

- I. Nulla Philosophiae pars est qua Medicus carere possit.
 - II. Magnus quoque Metaphysices est nexus cum medicina.
 - III. Ergo Metaphysica medico scitu necessaria.
 - IV. An Medicus Metaphysicae incumbere debeat valde adhuc dubito.
 - V. Medicum affabilitas decet.
 - VI. Hinc magna vis elegantiorum literarum in medico formando patet, verum illud Ovidii dictum - - Didiisse fideliter artes emollit mores nec sinit esse feros.
 - VII. Qui medici nomine dignus esse vult, ut graecam linguam calleat, necesse est.
 - VIII. Si quaereretur in medicina unicum idemque solidum principium, quid respondendum? En solum!
- CONTENPLATIO NATURÆ.*
- IX. In Chemicis de elementis disputatur & forte in aeternum disputabitur.
 - X. Ubi in Chemicis experimenta loquuntur, omnia optime succedunt, si autem rationes reddere voluntus tunc aqua haeret, ita ut & expertissimi viri, causas rerum, quae quotidie fiunt, ignorent.
 - XI. Nonne haec propositio valet; causae primae semper homines latebunt?
 - XII. Rationem alicujus rei quaerere, hoc est sapientis, statim vero cujuscunque rei rationem reddere velle & celeberrimos viros contra veritatem impingere fecit.

E

- XIII. *Principium fluiditatis illa vis mihi esse videtur, qua corpora determinato quodam caloris gradu, consilientiam suam solidam, quae nihil aliud, quam cohaesio illa, qua particulae gaudent, perdunt, inque id. quod fluidi nomen habet, abeunt, vel si potius mavelis, omnia corpora sunt fluida atque certo frigoris gradu in solida abeunt.*
- XIV. *Principium inflammabile, ubi agit, ibi semper motus adeat, quem omni tempore in omni corpore adesse nemo negare potest, duplice ergo distinctione hac in re procedendum esse, ego qui distinctiones alias non valde amo, ut fatear, cogor. Ista nempe facultate motum hunc suscipiendi omnia, quae nostros sensus tangunt praedita esse corpora, & si igni admoventur, revera istum suscipere, ita, ut nullum corpus quod igni admotum non caleat, existat; multa autem corpora quae facultateflammam capiendi sunt destituta, in hoc terrarum orbe repellantur.*
- XV. *Quantas & quales noxas subtiliores istae divisiones, hypotheses &c. licet ab ingeniosissimis viris propositae, rei medicae adulterint proh dolor! tot post HIPPOCRATEM elapsa testantur secula.*
- XVI. *Medicamenta nequaquam ratiocinio sed experientia sunt probanda.*
- XVII. *Aliquatenus tamen justum eorum usum ratiocinium adjuvare potest.*
- XVIII. *Medicus naturae minister.*
- XIX. *Ars longa, vita brevis.*

(x2282770)

V017



Q. D. B. V.

20

SPECIMEN INAUGURALE
DE
FISTULA ANI
QUOD
EX INDULTU
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS
PRO LICENTIA
GRADUM DOCTORIS
RITE CONSEQUENDI
D. XII. MARTII A. MDCCCLXXI.
SOLENNITER DEFENDET
JOHANNES MEYER
LINDAVIENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI, Ex Prelo JONAE LORENZII.